

Cœterum quia leges interdum ex consuetudine & praxi juxta rationem æquitatis patiuntur interpretationem, præcipuè in pœnalibus, ideò etiam & hîc in mitiorem partem itum est ; Unde duæ juxta distinctionem antea allatam traduntur regulæ. Quarum *Prima* est ; *Custos dolo, vel etiam pretio corruptus carceratum aufugere permittens pœna corporis afflictiva puniendus est*, qualis pœna est fustigatio. *Ratio* est (1) quoniam Commentariensis est in causa, ut disciplina publica eludatur, & qui incarceratus erat, pro meritam pœnam non sustineat. Quale delictum sanè gravissimum est, quod alios ad simile delictum possit invitare. (2) Dolus pœna corporali punitur, præcipuè tum, si fuerit probatus. Quæ tamen regula limitatur in tali casu, quando commentariensis unà effringit carcerem cum reo, tum namq; pari pœna eum cum incarcerato teneri etiam in foro Saxonico docet. *Carpzov. part. 3. quest. 111. num. 106. 107. & 108 fol. 105. Pract. Crimin.* Antequam tamen custodi pœna istac irrogetur, de dolo debet constare, adeò, ut si dolus ex gravissimis indiciis & conjecturis appareat, eum tamen custos confiteri nolit, utique per territionem, vel per tormententa istius confessio sit extorquenda.

Posterior regula EST : Commentariensis relegatione, carcere, vel multa puniendus est, si ex ejus culpa incarceratus aufugerit. Cum enim culpa suos habeat gradus, eaque modò lata, modò levior, modò etiam levissima fuerit, inde fieri nequit, ut hîc certa determinetur pœna, sed pro ratione personarum, & culpæ commissæ Judex perfido custodi carceris diversam pœnam irrogare potest. *Confer, Theodor. cap. 4. aphor. 12. p. 568. & 569. Crim.*

ARTIC. CLXXXI.

De officio Actuarii seu scribæ, aut Notarii publici.

Vom Ambt des Gerichtschreibers in peinlichen
Proceß.

In jeder Gerichtschreiber sol in peinlichen Sachen bey seiner Pflicht alle Handlung / so peinlicher Klag und Antwort halben geschicht / gar eigentlich / unterschiedlich und ordentlich auffschreiben. Und nemlich sol die Klag des Anklägers / vor dem Verbürgen / das
über